



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Chronici Ditmari Episcopi Merspurgensis Libri IIX

Thietmarus <Merseburgensis>

Helmeſtadi[i], 1667

In Editionem Ditmari Merspurgensis Antiquissimi Historici Mysniae Et
Saxoniae, Adornatam à Reinerò Reineccio V. Cl. Carmen scriptum à Petro
Albino Nivemontio

urn:nbn:de:hbz:466:1-11072

IN EDITIONEM DITMARI
MERSPURGENSIS ANTIQUISSIMI HISTO-
RICI MYSNIÆ ET SAXONIÆ, ADORNATAM
à REINERO REINECCIO V. Cl.

Carmen scriptum

à

PETRO ALBINO NIVEMONTIO

Inclita Saxonia nunc mater, filia quondam,
Saxoniæ grates, Mysnia, redde tuæ.
Te penes est etenim si quid, quo jure superbis,
Quove celebraris, contulit illa tibi
Quod veterum in primis cultus exosa prophanos
Salvantis Christi numina vera colis:
Quodq; per ingenuas caput infers nubibus artes;
Diceris & præstans moribus esse bonis:
Civica quod justo moderamine frena gubernas:
Deniq; fers Heneto libera colla iugo.
Scilicet omne tuæ debes id filia matri,
(Quæ nunc sorte alia filia facta tua est)
Natus Othone, trium genitor prælustri Othonum
Ex VVitekindæ sanguine, restus erit.
Imbuit ille tuos cælesti aspergine campos:
Barbariem à cælo depulit ille tuo:
Coudidit is primum celsas in montibus arces,
Mœnibus & junctas justis is esse domos,
Nobilium hic stirpes erexit, & omnia justis
Ordinibus, bello paceq; distribuit.
Nec minus est meritus de te bene filius alti
Aucupis, æterno nomine Magnus Otho.

Quæ

Qui vix fundatam fulcivit religionem
 Qua Sala quaq; Albis, Pica & Havelus eunt;
 Quig; novas justis firmavit legibus urbes,
 Qua cultum à sera posteritate ferunt.
 Non refero Andina dignam rem flumine vena;
 Qua te nobilitat, Mysnia, Saxo tuus,
 Herodum sobolem: (sub quorum florida sceptris
 Vixisti placidos secha per octo dies)
 Sed redeo ad cultus animorum & docta reperta:
 Exemplum cuius sit liber iste rei.
 Sexcentos hic ante annos à Saxone factus,
 Quo sese jaçtet Mysnia, primus erit.
 Nec liber in tota est antiquior editus ora,
 Qua nitet in summo Parrhasis Vr̄sa polo;
 Exceptis Corbeia tuis doctissima scriptis,
 Ditmaro laudem queis Vitechinde rapis;
 Nobilitas addit tamen hanc cui Teutona palmam;
 Qua non obscuro noster honore prait.
 De genere illustri bellantium & origine cretus
 Primis is Aonidum quòd grave nòrit iter.
 De quibus admonuit melius, REINERE, legentes
 Addita que studio est pagina docta tuo.
 Salve sancta parens pietatis & omnis honesti;
 Queis imbuta tua Mysnia dote fuit,
 Salve iterum atque iterum fortissima Saxonis ora;
 Non unquam est meriti laus peritura tibi;
 Mysnia fulgenti tellus opulenta metallo
 Donec erit stabit gloria parta tibi,
 Illaq; non ingrata feret te filia matrem,
 Confecta & senio post, vice matris erit.
 Tu quoq; (nunc rerum pulcherrima) Mysnia salve:
 Fig; tua matri gratior esse queas.

REINERVM reverenter habe: Primordia postquam
 Tractavit populi qui generosa tui,
 Atq; hujus varias diverso in Climate sedes,
 Nec non pro charis praelia gesta focis:
 (Donec ad has venit fati comitantibus oras,
 Condidit & Mysini nomina nota soni)
 Nunc etiam renovando tue monumenta salutis,
 Saxonia ostendit se genus esse tua.
 Ergo illi grata officium pietate repende,
 Ut tua majori premia laude vehat.
STELLA velut cunctos patria superavit amore,
 Mysica qui scriptis dant monumenta suis:
AGRICOLA ut stellam veri superavit amore:
FABRICIVS studio vicit ut Agricolam:
 Sic omnes post se **REINERI** scripta relinquunt
 Judicio, studio, religione, fide.
 Non majora meis optabo commodare rebus,
 Huic si **ME** socium fata serena dabunt.

In urbe ἐπιανύμω ἐθις ἀγαθῆς τῶν Μουσῶν.

Anno MDXXC.



VOCABU.